



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Vtrum dentur aliqua analogia media inter æquiuoca & vniuoca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

virtuosus seu præditus virtute, est terminus denominatiuus, sed non deriuatur quoad vocem ab illo termino abstracto conueniente cum ipso in significatione, quia terminus abstractus, qui conuenit cum illo in significatione, est virtus; studiosus autem non deriuatur vocaliter à virtute, vt patet: studium autem quod posset esse abstractum eius, quatenus significat hominem datam studiis, & à quo posset deriuari vocaliter, non est abstractum eius, vt significat præditum virtute, vt patet.

15. Respondens Complutensis ad replicam, quod per accidens sit quod musica adiectiue sumpta non differat finali desinentia à musica substantiue sumpta. Et ad confirmationem dicunt, quod studiosus non sit denominatiuus terminus in rigore, vt hic definitur terminus denominatiuus, quia solum est denominatiuus re, & non voce, denominatiua autem rigorosa debent esse denominatiua voce, & re.

Contra primam ex his responsionibus facit, quod tam per se musica adiectiue sumpta non differt à musica substantiue sumpta, quam per se fortis differt à fortitudine; & tam per accidens est, quod fortis differt à fortitudine, quam quod musica adiectiue sumpta non differat à musica substantiue sumpta, vtrumque enim oritur ex hominum libera institutione.

Deinde, si contra aliquam definitionem inueniretur aliqua vna instantia, in qua aut non conueniret alicui vni contento sub definito, aut conueniret alicui non contento sub definito, sine dubio definitio non valeret: v. g. si inueniretur vnus homo, qui non esset animal rationale, aut aliquid aliud quod non esset homo, sed esset animal rationale, certe animal rationale non esset bona definitio hominis; nec posset saluari eius bonitas dicendo, quod per accidens tantum accideret, vt reperiretur aliquid non homo, cui conueniret, aut aliquis homo, cui non conueniret, ergo si reperiretur aliquid denominatiuum, cui non conuenit prædicta definitio, etiam si per accidens reperiretur, definitio non erit bona, nec saluari potest recurrendo ad per accidens.

16. Præterea, quemadmodum illi auctores dicunt quod studiosus non sit denominatiuum rigorose sumptum, vt hic definitur, quia non deriuatur ab abstracto suo, ita melius dicerent, quod ly *musica* adiectiue sumptum non sit denominatiuum rigorose sumptum ex eo, quod non differat casu ab abstracto, si illa differentia sit necessaria ad denominatiuum rigorose sumptum, prout est secundum ipsos.

Contra secundam responsionem ad confirmationem facit primò, quod Philosophus diminute procederet si non definiret omne denominatiuum, præsertim cum ad doctrinam Logicæ, & alias scientias acquirendas tam deferuiat denominatiuum, quod est tale sola re, quam illud quod est tale re & nomine. Secundò quod gratis dicatur requiri ad denominatiuum rigorosum ista vocalis deriuatio. Tertiò quod definitio prædicta sic explicari possit, vt comprehendat denominatiua non solum re & voce, vt fortis respectu fortitudinis, sed sola re, & non voce, vt studiosus respectu virtutis. Sed sine dubio si sic explicari possit, melius sic explicatur, quam ita, vt sola comprehendat denominatiua re & voce, & denominatiua illa, quæ differunt finali cadentia nominis seu vocis.

17. Alij sic explicant denominatiua, vt velint quod sint illa, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem, quæ ratio est accidentaliter illis multis; ad differentiam scilicet vniuocorum, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem ipsis essentialiter. Sed hæc explicatio vix quadrari potest, aut accommodari ad prædictam descriptionem Philosophi, in qua nec vna particula ponitur, in qua significetur, quod denominatiua debeant, quæ talia, prædicari de multis. Deinde in hac explanatione non ponitur aliquid correspondens illis particulis, quæ ab aliquo solo differentia casu secundum nomen sumunt appellationem.

18. Itaque dicendum est, sensum prædictæ definitionis esse, quod denominatiua sint illa concreta, quæ dicuntur de aliquo ex eo, quod afficiatur intrinsece, vel extrinsece

aliqua forma accidentali, propter quam formam sic afficientem res denominatiuas, terminus denominatiuus dicitur de illis. Dicitur ergo quod terminus denominatiuus sumit appellationem nominis ab aliquo, nimirum à nomine abstracto, seu à forma significata per illud nomen abstractum, quia non diceretur de re denominata, nisi illa forma afficeret illam rem; vt fortis non diceretur de leone, nisi inesset ipsi fortitudo; nec visus diceretur de pariete, nisi visio esset ad ipsum terminatam; nec studiosus pro virtuoso de homine, nisi inesset ipsi virtus. Dicitur etiam quod solo casu differat ab ipso, quia terminus concretus significat eandem formam, quam significat terminus abstractus, sed cum hac differentia, quod terminus concretus, seu denominatiuus significet ipsam, vt adiacentem, seu denominantem, terminus verò abstractus significet ipsam secundum se; quæ differentia est casualis seu accidentaliter.

Adde pro maiori huius rei declaratione & authorum veterum intelligentia, denominatiuum denominans vocari terminum illum concretum, qui dicitur de aliquo, vt iustus; & terminum denominantem esse formam abstractam seu vocem, quæ eam significat, vt iustitia; denominatiuum denominatum esse rem illam, de qua dicitur terminus denominatiuus denominans, seu quam afficit & denominat, vt homo: quæ tamen appellationes sunt factis barbaræ, præstaretque sine dubio dicere quod subiectum formæ esset denominatum ab ipsa, & ipsa forma esset denominans tale subiectum, & vox concreta esset denominatiuum: sed hoc est parui momenti.

QVÆSTIO II.

Vtrum dentur aliqua analogia media inter æquiuoca & vniuoca.

19. Per analogia hic intelliguntur termini aliqui, qui dicuntur de pluribus, & nec sunt æquiuoca, nec vniuoca respectu eorum; & queritur, an dentur tales termini. Pro qua re melius intelligenda aduertendum, nō posse esse in controuersia, quin dentur aliqui termini, qui dicuntur de multis, & non vniuoce, sicut homo dicitur de Petro & Paulo; nec æquiuoce, sicut Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia: nam certum est, quod sanum dicatur alio modo de vna & medicina, quam homo de Petro & Paulo, aut Gallus de gallinaceo & homine nato in Gallia; nam homo ita dicitur de Petro & Paulo, vt si queratur quid significet quando dicitur de vtroque, eadem explicatione satisfiat: quod non est verum de sano, vt dicitur de vna & medicina, sed diuersa omnino explicatio adhibenda est.

Rursus, Gallus dicitur de gallinaceo, & homine nato in Gallia secundum tam diuersam rationem, vt significatio ipsius, quatenus dicitur de vno ex illis, non inuoluit aliquem ordinem, aut subordinacionis, aut dependentiæ, aut proportionis, aut attributionis ad significatum ipsius, vt dicitur de altero. Sanum autem dicitur de vna, quatenus vna est signum naturale sanitatis aut præsentis, aut absentis: dicitur vero de homine, quatenus significat debitam dispositionem humorum & partium ipsius: vnde significatum ipsius, quatenus dicitur de vno, dicit aliquem ordinem ad significatum illius, quatenus dicitur de altero, & propterea data opera illud nomen, quod dictum est de homine habente debitam illam dispositionem, dicitur de vna, quia significat illam debitam dispositionem inesse, vel abesse homini. Quod si vocaretur huiusmodi terminus analogus, vt secundum omnes vocari debet, non potest dubitari quin detur, & si eatenus vocaretur medium inter vniuoca, & æquiuoca illa, quæ dicuntur de pluribus, vt Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia (quæ vocantur æquiuoca à casu) quatenus illa analogia non habent rationem vnius vel alterius, sed rationem distinctæ rationis ab illis, non posset controuerti, quin darentur analogia media inter æquiuoca sic accepta, & vniuoca.

Vnde controuersia sola potest esse, an detur aliqui termini, qui dicuntur de pluribus, præsertim cum multiplicatione, qui nec habeant rationem vniuocorum, nec æquiuocorum, prout vniuoca & æquiuoca describuntur supra

Quid sane analogia.

Quo sensu possunt admitti analogia media inter æquiuoca & vniuoca.

supra à Philosopho. In qua controuersia quamuis pars affirmatiua attribui soleat Thomistis, ac recentioribus, & negatiua Scotistis, reuera tamen existimo meliores Thomistas non discordare à Scotistis: nam *Complutenses* hic tenent analogia omnia comprehendendi sub æquiuocis descriptis à Philosopho, & consequenter tenere debent, quod conueniat ipsis definitio illa æquiuocorum, quam doctrinam fatentur esse expresse *D. Thoma opusc. 48. tract. 2. c. 1. Caietani 1. par. qu. 13. & Doctorum communiter*; eamque præterea tenet *Auerſa 9. 25. logica*, & est sine dubio omnium illorum authorum, qui distinguunt æquiuoca ut sic in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio: nam per æquiuoca à consilio intelligunt illa, quæ hic dicuntur analogia, & per æquiuoca à casu intelligunt illa quæ dicuntur de multis absque ullo ordine vnus ad alterum: unde cum illa æquiuoca à consilio dicant esse species æquiuocorum ut sic, tenere debent quod non sint media inter æquiuoca ut sic, & vniuoca ut sic, id est non participantia rationem horum aut illorum, ut patet. Sed nec vlli Scotistæ negant, quin dentur illa æquiuoca à consilio seu analogia, quæ neque sint vniuoca neque æquiuoca à casu. Sed ut veritas magis appareat, statuendas duxi sequentes conclusiones.

CONCLUSIO I.

21. *Non datur aliquis terminus analogus predicabilis cum multiplicatione, qui sit medius inter vniuocum ut sic, & æquiuocum ut sic, seu qui non participet definitionem alterutrius ex ipsis supra traditam à Philosopho.* Hæc est sine dubio omnium Scotistarum, & etiam ut puto, Thomistarum ac recentiorum communiter.

*Probat*ur primò, quia Aristoteles non fecit mentionem de huiusmodi analogis mediis: ergo non dantur.

Dices non valere consequentiam ab autoritate negatiua. *Contra*, licet simpliciter non valeat, tamen cum Aristoteles ex professo egerit de vniuocis, & æquiuocis, ut possimus cognoscere, quænam deberent in Prædicamentis collocari, & quænam excludi, omnino diminute procederet, nisi etiam ageret de huiusmodi analogis, si darentur, quia posset quis dubitare, utrum in prædicamentis collocanda essent, vel non.

Dices, ex noticia vniuocorum & æquiuocorum facile deueniri posse in cognitionem Analogorum, & propterea non esse necessarium ut specialiter de Analogis fieret mentio.

Contra, quia multo facilius ex cognitione vniuocorum deueniri posset in cognitionem æquiuocorum, & è contra: ergo potius deberet agere de analogis, quam de vniuocis aut æquiuocis.

Confirmatur efficaciter, quia Philosophus exemplificans æquiuocum à se definitum, dicit hominem esse æquiuocum ad verum & pictum: sed nihil magis est analogum secundum aduersarios, quam homo respectu veri & picti: ergo cum hoc analogum sit æquiuocum, non datur aliquod analogum medium, quod non sit æquiuocum, prout æquiuocum diffinitum est à Philosopho: aliàs male vteretur illo exemplo.

22. *Probat*ur ratione, quia quæ conueniunt in aliquo nomine, aut habent eandem rationem secundum nomen significatam, aut non habent: si habent, sunt vniuoca, ut patet ex definitione vniuocorum; si non habent, sunt æquiuoca: ergo non dantur analogia media, quæ non participant definitionem vniuocorum & æquiuocorum.

Dices, quod neque habent illam rationem totaliter, neque etiam non habent, sed habent illam partim, & partim non habent, & hinc definiuntur analogia ab aduersariis esse, quorum nomen commune est, ratio verò secundum nomen partim eadem, partim diuersa.

Contra: quia licet aliquid de significatione nominis, quatenus dicitur de vno ex analogatis, reperitur in altero, si tamen aliquid ipsius non repenitur in ipso, simpliciter potest dici quod illa analogata non participant eandem rationem significatam per nomen, sed diuersas: ergo simpliciter loquendo debet vocari æquiuocum, & consequenter responsio nihil valet. *Probat*ur antecedens, quia

licet aliquid quod est de essentia hominis sit in bruto, quia tamè tota eius essentia nō est in ipso, propterea simpliciter potest dici, quod habent diuersas essentias: ergo si analogata non conueniant totaliter in ratione significata per nomen, possunt dici simpliciter non conuenire in eadem ratione, sed habere rationes diuersas.

Confirmatur, quia inter vnum, & multa non datur medium secundum Philosophum, & ratio est, quia sunt contradictoria, nam vel multitudo nihil aliud dicit formaliter præter negationem vnus, vel vnum nihil aliud dicit præter negationem multitudinis: ergo analogata habent, aut vnam rationem secundum nomen, aut multas rationes: si vnam, sunt vniuoca; si multas, sunt æquiuoca, & consequenter non dabuntur aliqua analogia media.

Dices quod habeant diuersas rationes à parte rei, sed tamen quia illæ diuersæ rationes dicunt aliquem ordinem inter se, possunt dici non esse omnino diuersæ.

Contra, quia vna res, ut dicens ordinem ad aliam rem, est omnino diuersa ab illa alia re: ergo vox significans ipsam, ut dicens talem ordinem, & significans rem illam, ad quam dicit ordinem, est æquiuoca respectu vtriusque.

CONCLUSIO II.

23. *Dantur aliqui termini communes, qui dicuntur de pluribus, & nec sunt vniuoca, nec æquiuoca à casu, & consequenter sunt media inter vniuoca omnia, & talia æquiuoca.* Hæc est certa, & eam solam videntur velle Thomistæ, qui citantur pro opposito conclusionis præmissæ, nec ab vllò Scotista negatur. *Probat*ur, quia vox sanum, ut dicitur de homine, & vtrina, est vox communis ipsis, & non est ipsis vniuoca, quandoquidem longe diuersum sit significatum ipsius, ut dicitur de vno, & de altero; nec est ipsis æquiuoca à casu, nam data opera illud ipsum nomen, quod dicebatur de homine habente debitam complexionem, & proportionem humorum ac accidentium, imponebatur ad significandam vtrina, quæ significabat talem complexionem adesse: ergo dantur termini communes pluribus, medij inter vniuoca & æquiuoca à casu, & consequenter dantur termini analogi sic medij, quia per terminos analogos, nihil aliud intelligunt authores, quam huiusmodi terminos communes: dicuntur autem medij inter terminos vniuocos & æquiuocos à casu, quia nec vnus, nec alterius rationem habent, & etiā, quia habent aliquam proportionem cum vtriusque; cum æquiuocis quidem, quia dicuntur de pluribus secundum diuersam rationem; cum vniuocis verò, quia sicut data opera terminus vniuocus erat impositus ad significanda illa multa, de quibus dicitur, propter similitudinem eorum inter se: ita etiam data opera terminus analogus est impositus ad significanda multa propter proportionem aut attributionem, quam dicunt ad inuicem. Hæc sufficient ad solutionem questionis: sed quia frequens est vsus æquiuocorum à consilio seu analogorum, aliqua de ipsis particularius examinanda sunt; sed breuiter tamen, neque enim res tanti momenti est, quanti eam faciunt Complutenses.

24. Itaque huiusmodi analogia sunt in triplici differentia; quædam enim sunt inæqualitatis, quædam attributionis, quædam proportionis, seu proportionalitatis. *Analogia inæqualitatis* secundum Caietanum sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem, ita tamen ut illa ratio inæqualiter participetur ab analogatis quoad perfectionem, hoc est contrahatur per differentias, aut modos inæqualis perfectionis ad analogata. Sic homo & brutum sunt analogia respectu animalis, quia conueniunt in homine, & ratione significata per nomen animalis, quæ tamen ratio per differentias inæqualis perfectionis contrahitur ad ipsa: sed certe analogia sic explicata sunt perfectissime vniuoca.

Alij explicant illam inæqualem participationem rationis analogiæ per hoc, quod vni ex analogatis conueniat cum dependentia essentiali ad alterum ita, ut non possit cum illa ratione existere à parte rei, sine essentiali dependentia ab altero analogato. Et si explicetur sic, ens erit analogum respectu Dei & creaturæ, quia creatura non potest existere à parte

Dantur analogia distincta ab vniuocis, & æquiuocis à casu.

Tria analogorum genera.

Analogum inæqualitatis vtriusque participatur à Caietano est vniuocum.

Item, ut explicatur ab alijs.

parte rei sine dependentia à Domino Deo, & similiter ens finitum, vt sic, erit analogum respectu substantiæ & accidentium, animal verò non erit analogum respectu hominis & bruti, quia alteruter potest existere à parte sine dependentia ab altero. Similiter homo, vt sic, respectu duorum hominum, quorum vnus sit pater & alter filius non erit etiam analogum, quia licet filius dependeat à patre, non tamen essentialiter, ita scilicet, vt non possit existere sine dependentia à patre.

Sed neque hic modus sufficit ad distinguendum analogia inæqualitatis ab vniuocis, quia tota definitio vniuocorum conuenit analogis inæqualitatis hoc modo explicatis; vnde si per analogia intelligamus ea, quæ comprehenduntur à Philosopho sub æquiuocis, & ab aliis dicuntur æquiuoca à consilio, huiusmodi non erunt analogia. Quare existimo hanc acceptionem analogorum esse impropiissimam. Adde præterea, quod communiter vocantur analogia attributionis, quæ huiusmodi dependentiam essentialem habent ad inuicem.

25. *Analogia attributionis* sunt illa, quæ dicuntur de pluribus propter ordinem vnus ad alterum, v. g. quando est aliquod nomen quod primo & per se est impositum ad significandam aliquam formam, extenditur autem postea ad significandam aliqua alia, nõ quod habeant in se illam formam, sed quod habeant aliquem ordinem ad illam, tale nomen est analogum attributionis: sic sanum est analogum, quatenus dicitur de homine sano, & de vrina & medicina sana, quia principaliter & primo erat impositum ad significandam debitam complexionis proportionem, quæ est in homine sano, postea autem extensum est ad significandam medicinam & vrinam sanam, non quod habeant in se illam sanitatem, sed quod dicant ordinem ad illam, medicina quidem quatenus est causatiua, vrina vero quatenus est significatiua illius: similiter vox homo vt sic est analogum respectu hominis picti & veri, quia primo erat imposita ad significandum hominem verum; postea vero propter ordinem hominis picti ad verum, ex eo scilicet, quod sit imago ipsius, nomen illud erat impositum ad significandum hominem etiam pictum.

Porro in huiusmodi analogiis duo sunt consideranda: primo duplex impositio nominis analogi, vna, quæ instituebatur ad significandam formam illam principaliter significatam; altera, quæ extendebatur ad significandam illam alia, quæ dicunt ordinem ad illam, quod non accidit in nomine vniuoco, quod vna impositione instituitur ad significandum omnia illa, quibus est vniuocum. Secundò, ex analogis analogus vnus vocari magis principale, illud scilicet quod habet formam principaliter intentam, reliqua minus principalia, quæ scilicet habent ordinem ad illam formam.

Controuertitur autem, an nomen analogum, quatenus dicitur de analogis minus principalibus, formaliter significet formam principaliter significatam, an vero habitudinem istius analogati ad talem formam, verbi gratia, an sanum, vt dicitur de cibo, significet formaliter ipsam sanitatem animalis, an verò respectum seu habitudinem, quam dicitur cibis ad sanitatem, quatenus scilicet est conservatiua ipsius. Quia in re ego existimo omnino significari formaliter & directe ipsas habitudines, licet indirecte etiam importetur ipsa forma principalis: si enim quis velit explicare, quid sit cibus sanus, dicit esse illum, qui aptus est ad conservandum sanitatem, in qua explicatione ponitur multo directius aptitudo cibi ad conservandam sanitatem, & in obliquo tantum ponitur ipsa sanitas.

27. *Dices*: illud, quod ponitur recto in explicatione alicuius nominis, non est id quod formaliter significatur per nomen, alias albedo non significaretur formaliter per nomen album: ergo ratio illa est nulla.

Respondeo distinguendo antecedens: secludendo materiale significatum nominis concreti, nego; non secludendo, concedo; antecedens, & nego consequentiam, quia illa ratio supponit seclusum esse significatum materiale. Itaque omne nomen concretum significat materialiter illud, quod in sui explicatione ponitur in recto, reliqua autem formaliter; quod si reliqua sint plura, principaliter

significabit illud, quod ponitur in accusatiuo casu immediate post verbum, aut quod æquiualeat ipsi, quia illud magis directe in explicatione ipsius ponitur ex omnibus illis, quæ præter materiale dicitur: vnde cum in explicatione cibi sani ponitur aptitudo ad conservandam sanitatem in accusatiuo casu, (explicatur enim, illud quod habet aptitudinem ad conservandam sanitatem) illa aptitudo principaliter significabitur per sanum, vt dicitur de cibo.

Obiicies: quotiescumque sunt plura conuenientia in nomine, potius est dicendum quod illud nomen significet illud, in quo conueniunt, quàm in quo nõ conueniunt.

Respondeo, hoc esse verum si nomen sit vniuocum, scilicet si sit analogum.

28. *Analogia denique proportionis seu proportionalitatis* sunt illa, quorum nomen commune est, ratio vero significata diuersa, ita tamen, vt habeant inter se in illa ratione diuersa quandam proportionem seu similitudinem, vt v. g. nomen leo significat leonem verum, & Christum, propter proportionem, quam habuit Christus cum leone in fortitudine aut principatu, quia quemadmodum leo est fortissimus & princeps animalium, ita Christus est Princeps & fortissimus omnium creaturarum. Similiter ridere dicitur de prato & homine; Intellectus & voluntas diuina vocantur manus Dei, quia quemadmodum homo operatur manibus, ita Deus intellectu & voluntate.

Dices: illa, quæ habent nomen vniuocum commune, non alia ratione id habent, quam quod habeant inter se similitudinem: ergo si illa quæ sunt analogata analogia proportionis debent habere similitudinem, erunt proprie loquendo vniuoca, & sic non erunt æquiuoca, neque à casu, neque à consilio.

29. Pro solutione huius aduertendum est nomen vniuocum semper significare istam rationem, in qua vniuocata sunt similia, v. g. nomen homo significat humanitatem, in qua Petrus & Paulus sunt similes, albedo significat albedinem in qua duo parietes sunt similes &c. nomen vero analogum analogia proportionis non significat illam rationem, in qua analogata habent similitudinem, sed significat ipsam analogatam, quæ habent illam rationem, leo enim non significat fortitudinem animalis rugibilis, aut Christi, sed significat ipsum animal rugibile & Christum, qui habent similitudinem in fortitudine.

Respondeo ergo ad obiectionem distinguendo antecedens: ita vt ratio, in qua habent similitudinem significetur per nomen vniuocum, concedo; alio modo, nego antecedens, & similiter distinguo consequens.

Est etiam alia differentia inter vniuoca & analogia proportionis quod nomen vniuocum vna impositione sit impositum ad significanda omnia vniuocata; analogum autem nomen pluribus impositionibus indigeat. Alij etiam volunt quod nomen analogum proprie significet vnum ex analogatis, & improprie per metaphoram aut aliam figuram reliqua: sed quamuis id sæpe contingat, non existimo esse necessarium. Aduertendum autem quod idem nomen possit esse analogum respectu plurium vtraque analogia & proportionis & attributionis, sanum enim est analogum respectu hominis sani & pomi sani analogia proportionis, si ideo dicatur pomum sanum quod sit integrum in se & incorruptum; analogia vero attributionis si ideo dicatur pomum sanum, quod conducat ad conservandam & procurandam sanitatem hominis.

30. *Dices*: Individuum est analogum proportionis respectu omnium individuorum, & differentia primo intentionaliter accepta respectu omnium differentiatum talium, & natura specifica primo intentionaliter accepta respectu omnium talium naturarum: sed individuum est æque primo impositum ad significanda omnia individua, & differentia ad significandas omnes differentias, & natura specifica ad significandas omnes naturas específicas: ergo falsum est quod analogum indigeat pluribus impositionibus.

Vt respondeatur huic obiectioni, aduertendum dupliciter posse discuti de individuo vt sic, primo dicendo quod sit vniuocum, licet nõ significet rationem aliquam ynam determinatam abstractam ab inferioribus, & vocando

ipsum

Analogum
att. ibutio-
nis habet
duas im-
positiones
nominis.

Principa-
lius signifi-
cat vnum
ex signifi-
catis quam
reliqua.

Vt dicitur
de analogi-
s minus
palibus si-
gnificat
habitudinem
eorum ad
formam
principalem.

Quid ana-
logi pro-
portionis

Diff. rentia
inter ana-
logia pro-
portionis
& vniuoca

ipsam vniuocum analogum ad differentiam vniuocorum dicentium vnam rationem determinatam abstractam ab inferioribus; secundo dicendo quod sit æquiuocum analogum ex eo, quod non significet aliquam vnam rationem sic abstractam & determinatam: si primo modo discutatur, tollitur vis obiectionis, quia quando dicimus, quod analogum requiritur plures impositiones, id intelligendum est de analogis æquiuocis, non de analogis vniuocis, quale est indiuiduū iuxta hunc philosophandi modum, & idem est de differentia vt sic, & natura specifica vt sic, ac aliis similibus: si teneatur secundus modus, dicendum est, quod omnia analogia proportionis non requirant diuersam impositionem, sed illa quæ per se primo significant vnam rationem, & alia significant propter proportionem cum illo primo.

Differentia
inter ana-
loga pro-
portionis
& alia.

Si autem quæras, quomodo possit discerni inter huiusmodi analogia proportionis, & illa alia: *Respondeo* differentia esse facilem, nam explicatio nominis analogi, quod per se primo significat vnum ex analogatis, & secundario alia, propter proportionem, quam habent cum illo primo, erit omnino diuersa, nam si volo explicare quid sit leo, vt dicitur de animali irrationali sic dicto, de beo dicere, quod sit animal rugibile; si volo autem explicare ipsum, vt dicitur de Christo, de beo dicere, quod sit aliqua persona summæ fortitudinis & superiouratis; aut aliquid simile: quæ explicationes sunt diuersissime, & sine vlla proportionem, aut similitudine: illud vero analogum, quod æque primo & vnica impositione significat sua analogata, habet eandem vocalem explicationem, vt dicitur de quolibet ex illis, vt patet in illo exemplo de indiuiduo, & differentia, & natura specifica: eodem enim modo explicari debet Petrus, quatenus est indiuiduum; & Paulus, quatenus est tale indiuiduum.

QVÆSTIO III.

De duabus diuisionibus & regulis antepredicamentibus.

Prima di-
uisio ante-
predica-
mentali.

Philosophus c. 2. huius libri fecit mentionem de duabus diuisionibus, quarum prima est: *Eorum, quæ dicuntur, alia sunt complexa vt homo currit, alia incomplexa, vt homo*: & hæc sane diuisio potest accommodari rebus, si intelligatur sic, quod rerum, aliquæ sunt complexæ, vt illæ, quæ duobus conceptibus debet concipi, aliquæ vero incomplexæ, vt quæ vno tantum conceptu apprehendi quærent. Potest etiam accommodari vocibus, si intelligatur sic, quod vocum aliquæ sint, quæ significant res complexas, aliquæ quæ res incomplexas.

Secunda diuisio conuenit rebus simplicibus, seu incomplexis, scilicet: *eorum quæ sunt alia de subiecto dicuntur* (id est essentialiter predicantur) *in nullo vero subiecto sunt* (id est non habent aliquod subiectum inhesionis, cui inhaereant) vt homo, qui predicatur essentialiter de Petro, & tamen non inhaeret Petro, nec vlli alteri: & huiusmodi sunt omnes substantiæ secundæ, seu vniuersales. *Alia vero in subiecto sunt* (id est inhaerent alicui subiecto) *de nullo vero subiecto dicuntur* (id est non predicantur essentialiter de vilo subiecto) vt hæc albedo, quæ quidem inhaeret parieti, non tamen predicatur essentialiter de pariete, aut vilo alio: & huiusmodi sunt omnia accidentia singularia. *Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt*, vt color qui inhaeret parieti, & predicatur essentialiter de albedine, & huiusmodi sunt omnia accidentia vniuersalia. *Alia denique neque in subiecto sunt, neque de vilo subiecto dicuntur*, vt Petrus, qui neque inhaeret vlli, neque predicatur essentialiter de vilo, & huiusmodi sunt omnes substantiæ primæ, seu omnia indiuidua substantialia.

Prima re-
gula ante-
predica-
mentalis.

3. Præterea etiam Philosophus c. 3. posuit duas regulas: prima est: *Cum quidpiam de quopiam predicatur vt de subiecto, ea, quæ de predicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto*. Sic quia homo predicatur de Petro, & animal predicatur de homine, animal etiam predicari potest de Petro. Controuertitur autem inter commentatores, an hæc regula solum habeat locum in predicatis essentialibus, an etiam in accidentalibus: & licet Aristoteles videatur tantum voluisse comprehendere predicata essentialia, quia idem intelligit hic per predicari, vt de subiecto, quod intellexit per eadem verba cap. 2. ibi autem intellexit per

predicari de subiecto predicari essentialiter; tamen quantum ad rei veritatem existimo regulam posse intelligi vniuersaliter de quocunque predicato, modò non conueniat predicato vt abstrahit à subiecto, aut modò subiectum non habeat aliquod predicatum incompatibile cum illo predicato. Vnde quia dicitur de pariete, quod sit albus, & dicitur de albo, quod sit coloratum; dicitur etiam de pariete quod sit quid coloratum: quamuis autem dicatur de Petro, quod sit homo, & de homine quod sit species, non tamen dicitur de Petro quod sit species, quia species dicitur de homine vt abstrahit à Petro. Similiter quamuis dicatur de homine quod sit communicabilis, non tamen dicitur de Petro, quia Petrus habet predicatum oppositum isti predicato.

33. Secunda regula est: *Diuersorum generum & non subalternatum posteriorum diuersa sunt specie differentia: si vero subalternatum ponatur, easdem differentias habere possunt*.

Tribus mo-
dis genera
possunt esse
diuersa.

Vt intelligatur hæc regula, notandum est tribus modis aliqua genera dici diuersa, primò & propriissime illa genera dicuntur diuersa, quæ collocantur in diuersis predicamentis, vt animal, & scientia: secundò dicuntur genera diuersa, quæ sunt eiusdem predicamenti, si neutrum sub altero ponatur, sed vtrumque sub aliquo tertio. Tertio demum dici possunt diuersa genera, quæ in eodem predicamento collocantur, sed ita tamen, vt vnum sub alio ponatur, vt animal & viuens. Difficultas modò est quid intelligat Philosophus per genera subalternatum, aut non subalternatum posita.

CONCLUSIO I.

34. Genera subalternatum posita sunt ita illa, quorum vnum sub altero collocatur, vt animal collocatur sub viuente, de quo nullus dubitat, quam illa, quæ collocantur sub aliquo tertio genere, quamuis neutrum sub altero collocetur, vt planta & animal. Hæc est communior, & contra Complutenses quoad secundam partem. Probatur quoad hanc partem: Philosophus 6. Top. c. 2. loco 41. expresse dicit genera subalternata non solum appellari ea, quorum vnum sub altero collocatur, sed etiam ea quorum vtrumque est sub tertio. Deinde ibidem ait: Et est certum, quod quæ ponuntur sub tertio genere, quamuis non subordinentur sibi inuicem, habeant differentiam communem, vt animal & planta habent differentiam constitutam viuens sibi communem, sicut ipsum viuens est ipsis commune: sed in hac regula ait genera non subalternatum posita non habere differentiam communem: ergo signum est quod, quæ ponuntur sub tertio genere, quandoquidem habeant differentiam communem non sint genera non subalternatum posita. Hinc sequitur quod genera non subalternatum posita sint illa, quorum neutrum sub altero ponitur, neque vtrumque sub vilo tertio.

Quæ sunt
genera
subalterna-
tum posita
secundum
Philoso-
phorum.

Dices cum Complutensibus: ex eo quod duo genera subalternentur alicui tertio, non sequitur, quod sint subalternatum posita inter se: ergo genera subalternatum posita debent esse vnum sub altero necessario, & cōsequenter, quæ non sunt vnū sub altero, non sunt subalternatum posita.

Confirmatur, quia secundum translationem Argirophili & Periony, hæc regula proponitur hoc modo: Quando genera diuersa sunt, nec vnum sub altero continetur, eorum etiam differentia specie differunt: eorum autem generum, quorum vnum sub altero collocatur, nihil prohibet easdem esse differentias: ergo intelligit Philosophus per genera, quæ dicit habere differentias diuersas, omnia, quorum vnum sub alio non continetur.

35. Respondeo negando consequentiam, quia aliud est, quod genera sint subalternatum posita, aliud quod sint inter se subalternatum posita. Primum dicimus nos de generibus, quæ continentur sub tertio genere, & non impugnatur bene hac obiectione. Secundum non dicimus de talibus generibus, & de illo solo procedit obiectio, quæ propterea non facit ad rem.

Ad confirmationem dico cum Conimbricensibus, translationem illā Argirophili non magis esse conformem Græco textui, quam Boetij, in qua non dicitur, genera, quorum vnum non ponitur sub alio, aut quorum vnum ponitur sub

sub